

Votiva de Sancto Martyre, vel de Sanctis Martyribus, cujus, vel quorum Missa Festiva, propria vel de Communi, reperitur indicata in Missali extra Tempus Paschale, hæc Missa propria vel de Communi dicetur etiam pro Missa Votiva, servata veritate, ut supra Q. 216 notatur.

2° Similiter, si Tempore Paschali celebranda est talis Missa Votiva, quæ in Missali describitur pro eodem Tempore tamquam Festiva, hæc itidem pro Votiva dicetur, prout jacet, in quantum servatur veritas.

3° Si extra tempus Paschale contigerit celebrari Missam Votivam de Sancto Martyre, vel de Sanctis Martyribus, cujus, vel quorum Festum Tempore Paschali occurrit, et Missa Festiva de Communi pro hoc Tempore assignatur, non poterit hæc Festiva Missa Temporis Paschalis dici tamquam Votiva, sed sumenda erit Missa ex respectivo Communi extra Tempus Paschale, iis tamen retentis quæ Sancti vel Sanctorum Missæ reperiuntur omnino propria, ex. gr., Orationibus.

Et si Missa est in omnibus propria, modo servetur veritas, ut Q. 216 dictum fuit, dicitur quidem pro Votiva, sed mutantur quæcumque propria sunt Tempori Paschali; scilicet: omittitur *Alleluja* ad Introitum, ad Offertorium, et ad Communionem; et dicitur Graduale, cum Versu allelujatico, aut cum Tractu, loco *Magni Alleluja* Temporis Paschalis (cfr. Q. 137).

Exempla: Si dicenda est Missa Votiva de S. Georgio, Martyre (23 Aprilis), non potest dici pro Votiva Missa ejus Festi, nempe *Protexisti*, de Communi unius Martyris Tempore Paschali, sed dicenda est Missa *In virtute*, prima de Communi unius Martyris non Pontificis extra Tempus Paschale, quemadmodum indicatur in Missali post Missam Festivam.

Si dicenda est Missa Votiva de S. Justino, Martyre (14 Aprilis), dicitur quidem pro Votiva Missa ejus Festi, quæ tota propria est, ita quidem ut extra Festum in omnibus veritas servetur; sed omittendum erit *Alleluja* ad Introitum, Offertorium et Communionem, et loco *Magni Alleluja* dicendum erit Graduale, ut supra in responso dicitur.

Notari potest, quod in Festis SS. Martyrum quæ occurrunt Tempore Paschali, mensibus Aprilis et Maji, Missale regulariter indicat post eorum Missam Festivam, quomodo Missa sit ordinanda, casu quo dicenda est extra Tempus Paschale.

4° Itidem, si Tempore Paschali contigerit celebrari

Missam Votivam de Sancto Martyre, vel de Sanctis Martyribus, cujus, vel quorum Festum extra Tempus Paschale occurrit, et Missa Festiva, sive propria, sive de Communi extra Tempus Paschale assignatur, pro Votiva dicetur non Missa propria, vel de Communi extra Tempus Paschale, sed Missa de Communi Martyrum Tempore Paschali, retentis tamen iis quæ omnino propria sunt.

Exemplum: Si de S. Rumoldo est celebranda Missa Votiva Tempore Paschali dicetur, non Missa propria Festi quod 1 Julii in Dicecesi Mechliniensi celebratur, sed Missa de Communi unius Martyris Tempore Paschali, cujus Introitus incipit: *Protexisti me, Deus*; retentis tamen ex Missa propria Oratione, Secreta et Postcommunionem, quæ omnia propria sunt de S. Rumoldo.

Q. 220. *Quanam Missa pro Votiva dicenda erit, si petatur Votiva, 1° de pluribus Sanctis ejusdem qualitatis; 2° de pluribus Sanctis, qui non sunt ejusdem qualitatis; 3° de uno Sancto, qui in Calendario cum alio Sancto, vel aliis Sanctis simul adscriptus est; 4° de Sanctis, sed simul pro aliqua necessitate?*

R. I. Quando Missa Votiva celebranda est de pluribus Sanctis, qui simul non sunt adscripti in Calendario, et proinde communem Missam Festivam non habent; qui tamen sunt ejusdem qualitatis, puta plures Confessores Pontifices, ex. gr., de Sanctis Martino et Amando; — tunc pro Votiva sumitur Missa de Communi Sanctorum hujus qualitatis; quæ autem in Orationibus hujus Missæ de Communi referuntur ad unum Sanctum, dicuntur in plurali. Et casu quo unus alterve, vel uterque Sanctorum, de quibus Missa Votiva dicitur, haberet Missam propriam, hæc propria omittitur, et nihilominus præfertur Missa de Communi; sic in exemplo allato omittetur Missa propria S. Martini.

II. Quando Missa Votiva celebranda est de pluribus Sanctis, qui simul non sunt adscripti in Calendario, et qui non ejusdem sunt qualitatis, ex. gr., de Sanctis Rumoldo et Francisco; — tunc dicitur Missa de digniore, et dicuntur Oratio, Secreta et Postcommunio, quæ conveniunt omnibus Sanctis, quales habentur in Missa S. Callisti, Papæ et Martyris, 14 Octobris.

Videtur tamen quod in quibusdam casibus proposita solutio non convenientior erit, et aliquando alio modo melius poterit fieri; si, ex. gr., celebranda esset Missa Votiva de Sancto Joseph simul et de Sancta Barbara, qui invocantur ambo tamquam patroni bonæ mortis, dicetur quidem Missa de S. Joseph; sed in ea, salvo meliori, placeret magis dicere primam Orationem de S. Joseph, et post Orationes omnes quæ vi Rubricarum, aut quocumque alio titulo dici in hac Missa Votiva debent, dicere, tamquam Orationem Votivam quam ad libitum meum addere possum, Orationem S. Barbaræ, superaddita adhuc, si impar numerus eam requireret, alia Oratione ad libitum.

III. Quando Missa Votiva celebranda est de aliquo Sancto, qui in Calendario adscriptus est simul cum alio Sancto, aut cum aliis Sanctis; si in Sanctorum istorum Missa communi propria veritas verborum servetur in quibusdam partibus propriis, etiamsi pro uno Sancto tantum diceretur, dici poterit hæc communis Missa propria tamquam Votiva, mutatis tamen Orationibus, quæ pro qualitate Sancti de quo Missa celebranda est, sumuntur e Missa de Communi, de unico tantum Sancto dicendæ. Si vero in ista Missa communi omnia jam referantur ad plures Sanctos, sumi poterit pro Missa Votiva de uno Missa de Communi quæ convenit qualitati istius Sancti.

Exemplum: si Missa Votiva celebranda est de S. Sebastiano, Martyre non Pontifice, cum in ejus Missa propria Festi, 20 Januarii, quam communem habet cum S. Fabiano, Martyre Pontifice, omnia jam referantur ad plures Sanctos Martyres, dicetur pro S. Sebastiano Missa Votiva, desumpta e Communi unius Martyris non Pontificis.

IV. Casu quo duplex sit votum seu desiderium celebrantis, vel petentis Missam Votivam; si, ex. gr., petitur Missa Votiva de S. Joseph, et simul ad postulandam gratiam bene moriendi; vel Missa Votiva de S. Maria Magdalena, et simul pro remissione peccatorum; tunc pro Votiva dicetur Missa de Sanctis; quia celebrans vel petens censetur per intercessionem Sanctorum velle obtinere quod intendit; congruenter autem addetur Oratio pro necessitate, quæ correspondet voto seu de-

siderio superaddito; sed hæc dicenda erit tamquam Oratio Votiva ad libitum addita, post omnes Orationes ex præscripto Rubricarum aut alio titulo dicendas.

221. Adduntur hic aliæ quædam solutiones, pro quibusdam casibus specialibus Missarum Votivarum de Sanctis; et indicantur Missæ dicendæ cum celebrantur Votivæ:

1<sup>o</sup> De SS. Angelis. — Dicitur Missa Votiva de SS. Angelis, quæ ponitur in fine Missalis Romani inter Votivas. Dici potest etiam Missa de S. Michaelis Archangelo, prout in ejus Dedicacionis Festo, 29 Septembris, mutando quæ non convenirent Tempori, eaque sumendo ex Missa Votiva de SS. Angelis, quæ supra indicatur. Item dici potest ut Votiva Missa de SS. Angelis Custodibus, quæ habetur in Missali pro Festo SS. Angelorum Custodum, 2 Octobris. Et quia Diocesi Mechliniensi concessa sunt Festa S. Gabrielis, Archangeli, 18 Martii, et S. Raphaelis, Archangeli, 24 Octobris, nobis etiam licebit pro his SS. Archangelis eorum Missas tamquam Votivas dicere, desumptis eis quæ mutanda sunt pro Temporis varietate, ex Missa Votiva de SS. Angelis, quæ ponitur in fine Missalis.

2<sup>o</sup> De S. Joanne Baptista. — Poterit dici Missa Votiva ut in Festo ejus Nativitatis, 24 Junii; juxta quosdam auctores Oratio, Secreta et Postcommunio sumendæ sunt ex Missa Vigiliæ ejusdem Festi; sed post Decretum S. Rituum Congregationis, 23 Junii 1893 (n. 3803), quo rescipsit, pro Suffragio S. Joannis Baptistæ, Titularis Ecclesiæ, recitandam esse in Officio Orationem Festi Nativitatis S. Joannis Baptistæ, mutata voce *nativitate* in vocem *commemoratione*, dicendum videtur eandem Orationem, prout indicatur, etiam in Missis Votivis apte recitari; idemque faciendum in Secreta; ac in Postcommunione pro voce *generatione* apte dici *commemoratione*. — Post Septuagesimam vero Tractus sumitur ex Missa *In virtute tua*, quæ prima est de Communi unius Martyris non Pontificis, scilicet: *Desiderium etc.* Tempore Paschali, Magnum Alleluja sumitur ex secunda Missa de Communi Confessoris non Pontificis, *Justus ut palma*, scilicet: *Beatus vir, et Justus germinabit.*

3<sup>o</sup> De S. Joseph. — Juxta Decretum S. Rituum Congregationis (6 Februarii 1892, n. 3764, ad 9), pro Missa Votiva non dicitur formulare Missæ ut in ejus Festo, 19 Martii, sed semper adhibendum est formulare Missæ, quæ correspondet Officio Votivo concessio pro Feriis quartis per annum liberis, a Summo Pontifice Leone XIII, per Decretum S. Rituum Congregationis, 5 Julii 1883.

4<sup>o</sup> De SS. Apostolis Petro et Paulo. — Extra Tempus Paschale dicitur Missa quæ ponitur inter Votivas in fine Missalis. Tempore Paschali vero dicitur Missa *Protexisti*, ut in Festo S. Marci, 25 Aprilis, præter Orationes, Epistolam et Evangelium, quæ dicuntur ut extra Tempus Paschale.

5<sup>o</sup> De S. Apostolo Petro, vel de S. Apostolo Paulo, seorsum. — Dicitur Missa Votiva, utrique communis quæ ponitur inter Votivas in fine Missalis, cum speciali intentione honorandi illum de quo seorsum Missa Votiva celebranda est. Numquam enim separandi sunt ii quos Ecclesia semper conjungit. Si Missa Votiva esset celebranda in honorem Conversionis S. Pauli, dici potest Missa ut in hoc Festo, 25 Januarii, mutatis pro ratione Temporis mutandis; sed tunc debet fieri etiam Commemoratio S. Petri, ante alias omnes Commemorationes.

6<sup>o</sup> De S. Apostolo Joanne Evangelista. — Extra Tempus Paschale dicitur Missa Votiva ut in Festo, 27 Decembris; post Septuagesimam sumitur Tractus ex Missa Votiva de SS. Apostolis. Dicitur Præfatio de Apostolis. Tempore Paschali vero dicitur pro Votiva, Missa ut in Festo S. Joannis ante Portam Latinam, 6 Maji.

7<sup>o</sup> De alio S. Apostolo. — Extra Tempus Paschale dicitur ejus Missa propria; si quæ tamen in ea Missa propria non possent extra Festivitatem servari, eorum loco dicuntur quæ correspondent in Missa Votiva de SS. Apostolis, concessa pro Feriis tertiis liberis, a Leone XIII, per Decretum 5 Julii 1883. Tempore Paschali autem dicitur Missa *Protexisti*, ut in Festo S. Marci, 25 Aprilis, præter Orationes, Epistolam et Evangelium, quæ desumuntur ex Missa propria. — Pro S. Philippo, aut S. Jacobo, quorum Festum celebratur commune, 1 Maji, dicitur Missa Votiva de SS. Apostolis, supra indicata, iis servatis ex propria Missa Festi, quæ alterutro conveniunt. — Pro Missa Votiva de S. Marco, extra Tempus Paschale, dicitur Missa ut in Festo S. Lucae, Evangelistæ, cum Orationibus et Epistola ex Missa propria S. Marci.

8<sup>o</sup> De pluribus SS. Apostolis. — Si Missa Votiva celebratur de duobus SS. Apostolis qui Festum commune habent, nempe, de SS. Philippo et Jacobo (minori), quorum dies Festus est 1 Maji, aut SS. Simone et Juda (Thaddæo), qui coluntur 28 Octobris, pro Votiva dicitur eorum Missa propria; in Missa Votiva SS. Philippi et Jacobi, quando celebratur extra Tempus Paschale, dicitur Graduale, ut post Missam Festi indicatur, et post Septuagesimam dicitur Tractus e Missa Votiva de SS. Apostolis; pro Missa Votiva de SS. Simone et Juda, Tempore Paschali, dicitur Missa *Protexisti*, quæ indicatur pro hoc Tempore post Missam Votivam de SS. Apostolis, retentis Orationibus et Evangelio ex Missa propria.

Si Missa Votiva celebratur de duobus SS. Apostolis qui Festum commune non habent, aut de pluribus SS. Apostolis, dicitur Missa Votiva de SS. Apostolis, concessa per Decretum 5 Julii 1883. Tempore Paschali autem dicitur Missa *Protexisti*, ut ibidem describitur. Quæ vero propria habentur in Missa Festi unius alteriusve S. Apostoli, de quo simul cum aliis Missa Votiva celebratur, hæc in Votiva Missa omittuntur.

9<sup>o</sup> De Omnibus Sanctis. — Extra Tempus Paschale, dicitur Missa de Festo Omnium Sanctorum, 1 Novembris, excepto quod loco Introitus *Gaudeamus*, dicitur Introitus *Timete Domi-*

*num*, ex Missa propria SS. Cyriaci et Sociorum, Martyrum, 8 Augusti; vel Introitus *Sapientiam*, ex Missa de Communi plurimorum Martyrum; et loco Orationis Festi dicitur Oratio *Concede, quæsumus, etc.*, quæ prima ponitur inter Orationes diversas, in sexta Missalis parte (cfr. Q. 38). Si quando in hac Missa Votiva, juxta regulas postea exponendas, assignaretur tertio loco Oratio *A cunctis*, omittitur hæc Oratio, ejusque loco dicitur Oratio *de Spiritu sancto*.

Quodsi hæc Missa Votiva de Omnibus Sanctis sit celebranda Tempore Paschali, non dicitur Missa Festi 1 Novembris, sed poterit dici Missa de Communi plurimorum Martyrum pro Tempore Paschali, cujus Introitus est: *Sancti tui, etc.*, cum Oratione *Concede, quæsumus, etc.*, supra assignata.

## § 2. De Missis Votivis de Mysteriis

Q. 222. Quid hic intelligitur per Missas de Mysteriis?

R. Intelliguntur Missæ, vel a) de Tempore anni ecclesiastici, scilicet, de Dominicis, et de Feriis per annum, in quibus recoluntur facta vel dicta, relate ad vitam et doctrinam Christi Salvatoris, et institutionem Sanctæ Ecclesiæ; — vel b) speciatim de præcipuis Mysteriis Nativitatis, Vitæ, Passionis, gloriosæ Resurrectionis, Ascensionis, etc. Domini nostri; — vel c) illæ quibus recoluntur præcipua dogmata nostra religionis, qualia sunt SS. Trinitatis, SS. Sacramentum, sanctus Spiritus, etc.

Q. 223. An Missæ de Tempore tamquam Votivæ dici possunt?

R. Missæ de Tempore, scilicet de Dominicis, et de Feriis per annum, quibus et adde Missas de Vigiliis, dici non possunt tamquam Votivæ; ratio dari potest, quia istæ Missæ assignantur proprio suo tempore anni ecclesiastici, cujus ordinem intervertere nullatenus convenit; patet enim, Missam de aliqua Dominica Adventus non convenire Tempori Quadragesimæ, aut alii Tempori anni ecclesiastici; neque Missam de Tempore Quadragesimæ Tempori Paschali; etc.

NOTA. Dicitur quod Missæ de Feriis non possunt dici tamquam Votivæ. Animadvertendum tamen est, quod nihil obstat, quominus in Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, et Vigiliarum dici possit Missa de occurrente Feria, in colore violaceo, ab eo qui in

hujusmodi Feria recitavit aliquod Officium Votivum ; S. Rituum Congregatio, Decreto 30 Augusti 1892 (n. 3792, ad 7), id fieri posse rescripsit. Talis Missa tunc nec Votiva est, nec more Votivo, sed de die, de Feria occurrente, cujus non fuit recitatum Officium per accidens, et ex indulto. Sicut enim Votivæ non sunt Missæ de hujusmodi Feriis conventuales, quæ celebrari debent in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ita nec Votiva vocari potest Missa ferialis, quæ dicitur post Officium Votivum recitatum dummodo sit de Feria occurrente. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, V, 1891, pag. 689 et sqq.)

Qui autem celebrat in casu Missam de Feria, dicere debet in hac Missa Commemorationem Officii recitati, licet Votivi, quia Missa ferialis fit ritu simplici, et Commemorationes plures admittit, maxime illam de Officio recitato. Ita Decretum supra citatum. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 588.)

Q. 224. *Possuntne celebrari Missæ Votivæ de quibuscumque Mysteriis aut Solemnitatibus per annum ?*

R. Quædam per annum Mysteria, de Vita et Resurrectione Christi celebrata, ita certo ac determinato tempore anni ecclesiastici sunt propria et affixa, ut, ex mente Ecclesiæ, de illis alio tempore Missas celebrare nullatenus conveniat ; qualia reputantur Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Resurrectio, Ascensio Domini ; et proinde de hujusmodi Mysteriis nequeunt Missæ Votivæ celebrari.

Q. 225. *Quid faciendum si Missa in honorem hujusmodi Mysteriorum sit celebranda ?*

R. Quando petitur, aut ex tenore foundationis dicenda est Missa Votiva de Nativitate Domini, Circumcisione, Epiphania, Resurrectione, Ascensione Domini, fit satis celebrando Missam diei cum intentione colendi hoc vel illud Mysterium ; vel, juxta Guyetum, sumi potest Missa Votiva de SS. Trinitate, cum intentione venerandi Mysterium, de quo Missa petitur. (Guyetus, *Heortologia*, Lib. IV, Cap. 21, Q. 2.)

Q. 226. *Quænam sunt Mysteria quorum Missæ dici possunt Votivæ et quænam Missæ pro Votivis dici debent ?*

R. Recoluntur quædam per annum Mysteria, quæ anni ecclesiastici tempore non ita sunt propria seu affixa, ut non æquo et pari jure valeat et alio tempore eorum commemoratio peragi ; de quibus ut Votivæ Missæ peragantur Ecclesia indulget ; unde in Missali Romano describuntur Missæ Votivæ de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Eucharistiæ Sacramento, de Passione Domini, de Cruce. De his Mysteriis tamen non licet pro Votivis dicere Missas in propriis festivitibus horum Mysteriorum per annum descriptas, sed sumendæ omnino sunt Missæ tamquam Votivæ propositæ in quinta Missalis Romani parte. (Cfr. Q. 37.)

Insuper præter istas Missas ex fine Missalis desumptas, tres sunt assignatæ in Proprio Sanctorum, quæ pro Votivis quoque sumi possunt, ut patet ex Rubricis specialibus harum Missarum ; sunt Missæ : SS. Nominis Jesu, cujus Festum agitur Dominica II post Epiphaniam (in Missali ante Missas Festorum Januarii) : SS. Cordis Jesu, cujus Festum agitur Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi (in Missali ante Missas Festorum Junii) ; et Pretiosissimi Sanguinis Domini, cujus Festum agitur Dominica I Julii (in Missali ante Missas Festorum Julii).

Præterea pro Missa Votiva in honorem Exaltationis S. Crucis, declaravit S. Rituum Congregatio sumi posse formulare Missæ Festi (14 Septembris), sed « Orationem sumendam ex Missa Votiva de Cruce in fine Missalis. » (Decret. 11 Martii 1882, n. 3539, antiq. 5834, ad 1.) — Idem dici poterit de Missa Votiva in honorem Inventionis ejusdem S. Crucis (3 Maji), mutatis tamen mutandis ratione Temporis Paschalis, quæ desumentur ex Missa Exaltationis S. Crucis. (Decret. 16 Februarii 1754, n. 2430, antiq. 4241.)

NOTA. I. Missæ superius assignatæ tamquam Votivæ, ex quinta Missalis Romani parte, scilicet, de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Eucharistiæ Sacramento, de Passione Domini, de Cruce, ibi simul cum quibusdam Missis Votivis de Sanctis, nempe de SS. Angelis, de SS. Apostolis Petro et Paulo, de B. Maria Virgine, ordinantur, ut quibusdam in casibus, qui determinantur, in Rubricis generalibus Missalis (Tit. IV, n. 3), suffragari possint pro Missa conventuali, quæ alias deberet esse conformis Officio.

Istæ Missæ sunt itaque primo et principaliter conventuales respectivis diebus liberis adhibendæ in Ecclesiis quæ ad persolvendum in Choro Officium divinum tenentur. In nostra Diœcesi unica hodie existit hujusmodi Ecclesia cleri sæcularis, nempe Ecclesia Metropolitana S. Rumoldi in civitate Mechliniensi. Et in hac Ecclesia quidem non amplius tamquam conventuales celebrandæ veniunt præfatæ Missæ Votivæ, ex quo, juxta Apostolicum Indultum 5 Julii 1883, de consensu Capituli, ab Archiepiscopo semel pro semper approbato, in diebus quibus istæ Missæ poterant celebrari pro Missa conventuali, ibi Officia Votiva pro singulis hebdomadæ diebus liberis eodem Indulto concessa, et respectivæ Missæ persolvuntur et celebrantur.

Cæterum istæ Missæ, pro conventualibus assignatæ, possunt in celebrandis « Missis privatis, » id est, non conventualibus (cfr. Q. 12), pro Votivis ad arbitrium Sacerdotum dici, quocumque die libero, ut notat Rubrica Missalis loco citato (Tit. IV, n. 3).

NOTA. II. Tamquam « Missæ Votivæ per annum » inscribuntur etiam Missæ pro singulis hebdomadæ Feriis concessæ a Leone XIII, correspondentes Officiis Votivis iisdem diebus concessis (cfr. Q. 41). Inter ipsas duæ recensentur de Mysteriis, nempe de SS. Eucharistiæ Sacramento, et de Passione Domini, quarum tenor idem omnino est, qualis pro respectivis Mysteriis describitur in Missis Votivis de quibus in præcedenti Nota agitur.

Istæ Missæ dicuntur Votivæ, sed non eodem sensu quo Missæ quæ Officio non sunt conformes (cfr. Q. 204, Nota II); ab eis qui his diebus persolverunt præfata Officia, celebrandæ sunt, non more Votivo, sed Festivo, utpote conformes Horis canonicis recitatis; itaque dicuntur ut in Semiduplicibus, cum Hymno *Gloria in excelsis*, cum Commemorationibus de Simplicio, de Feria majori, ac Vigilia, aut cum Orationibus secunda et tertia pro Temporis diversitate: sine *Credo*, etiamsi sub ritu duplici, imo sub ritu duplici majori aliquando sint concessæ (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § 1); et cum Evangelio Feriæ majoris aut Vigiliæ in fine.

Qui vero hisce diebus, persoluto Officio Feriali, aut de Festo simplici, celebrarent Missas præfatas, eas deberent dicere tamquam Votivas, utpote Officio diei quod recitarunt non correspondentes.

Q. 227. *Quænam Missa est dicenda, si petitur Votiva de Oratione D. N. in monte Oliveti, de Corona Spinea, de Lancea et Clavis, de Sancta Sindone, de Sacris quinque Vulneribus?*

R. Cum per Indultum Apostolicum 28 Julii 1874, ad nostram Diœcesim extensa fuerint Officia istorum Mysteriorum, dici possunt pro Votivis eorum Missæ propriæ in Appendice Missalis (cfr. Q. 42) descriptæ; quæ vero in eis Missis propria non possent servari, desu-

De Missis Votivis pro diversis rebus (Q. 228-230) 209  
muntur ex Missa Votiva de Cruce, vel de Passione Domini, in Missalis Romani quinta parte.

Q. 228. *Quænam Missa dicenda est pro Votiva de SS. Corde Jesu?*

R. Dicenda est in nostra Diœcesi Missa *Miserebitur*, ut in Festo (in Missali in Proprio Missarum de Sanctis, ante Festa Junii, pro Feria VI post Octavam SS. Corporis Christi). Omittitur extra Tempus Paschale ad Introitum utrumque *Alleluja*; item omittitur *Alleluja* ad Offertorium et ad Communionem. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Septembris 1865, n. 3137, antiq. 5351, ad 5; et 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 10; ibi legendum est « Affirmative » pro « Negative », uti notatur in Indice Decretorum, pag. 129.) Quæ pro diversitate Temporis mutanda sunt ad Graduale, si in Missa Festiva forte non indicantur, desumi possunt ex altera de SS. Corde Jesu Missa *Egredimini*, quæ reperitur in Appendice Missalis. (Decret. 29 Februarii 1868, n. 3168, antiq. 5393, ad 1.)

Q. 229. *Quænam Missa dicenda est, si petitur in honorem 1° Sacri Vultus D. N. (la Sainte Face), et pro reparatione blasphemiarum; — 2° Sanctæ Familiæ; — 3° Pueri Jesu, cujus Imago colitur Pragis?*

R. 1° Dicenda est Missa Votiva de Passione Domini, quæ habetur inter Votivas, in quinta parte Missalis.

2° Per Decretum S. Rituum Congregationis, 22 Martii 1897, Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, concessum fuit Archidiœcesi Mechliniensi, celebrandum Dominica III post Epiphaniam, cum Officio ac Missa propriis; ergo hæc Missa tamquam Votiva in nostris Ecclesiis poterit celebrari.

3° Sumi poterit Missa Festi SS. Nominis Jesu, in Missali inter Festa Januarii, pro Dominica II post Epiphaniam.

### § 3. De Missis Votivis pro diversis rebus

Q. 230. *Quot, et quæ sunt Missæ Votivæ, quæ in Missali describuntur dicendæ pro diversis rebus?*

R. Tredecim sunt Missæ, quæ in Missalis quinta  
S. LITURG. TRACT. DE RUB. MISS. 14